

1605

Veneti de
damnis ab
Hispanis
illatis cum
oratore con-
queruntur.

Talia in Veneta navigia committi, quæ nec in hostes quidem fierent: hæc ab optimi Regis mente aliena esse, certo sibi Senatum persuadere: nunquam alias auditum, triremes regias, expansis velis, sublatis signis, in Venetos impetum fecisse: an ejusmodi Rempublicam amicam promeritam? quamobrem quæ acta sint, Regi significet, excursiones maritimas penitus inhibeat, ablata restitui jubeat, in fontes animadvertat. Francisco Priolo, legato, eadem Philippo exponere præcipiunt: ad eundem datæ literæ. Classis legato injunctum, ut triremes cogat, novo milite instruat; a Corcyra Zacynthum proficiatur; circa Cytheram atque Honusam insulam, quibus in locis frequenter piratæ nidificant, maria perlustret; ne quid navigiis Venetis detrimenti accadat, curet; si qui aggressi fuerint, in eos acerrime decertet. Binas majores triremes armari (nam jam biennio subductæ fuerant) decretum; atque, ut tuto naves in Syriam iter haberent, præfectus iis daretur, latum. Marcus Lauretanus, maritimarum rerum usu præstans, lectus. Philippus de iis quæ acciderant, quæque a suis gesta fuerant, monitus, ne impofterum piratica a suis exerceretur, neve ex Neapolis Siciliæque regnis prædatoria navigia exirent, sanxit; de iis quæ a Sancta Cruce atque Adelantado acta fuerant, judicium Neapolis Siciliæque iudicibus permisit; eaque per literas perque oratorem Reipublicæ significavit. At Patres de piraticæ inhibitione Regi gratias agunt; quod in rapinarum causa iudices dederit, vehementer conqueruntur: *Extemplo reddi ablata, remque non per iudices, sed inter Principes transigi, flagitant. Quem exitum superioribus annis ejusmodi negotia habuerint, quis ignoret? an non justum æquumque esset, ut negotiatoribus innoxiiis damna sarciantur? obsoleta jam quæ de Turcis atque Judeis jactent, videri, qui bona eorum navigiis Venetis veluti tutissimis arcibus crediderint.* Sed frustra hæc adducebantur, unaque navigationis servandæ ratio videbatur, si, auctis classis Venetæ viribus, piratis metus incuteretur; in idque potissimum studium omne impendebatur.

Ceterum (quod perraro forsan cecidisse legitur) hæc inter, in Anglia in Regem regnique proceres detecta conjuratio est, quæ vel conjuratorum ausu, vel nefando consilio, vel ratione qua prodiit, stupore cunctos affecerit. Cum enim Rex ad Westmonasterium
regni

Venetorum
decreta ad
incuriones
inhibendas.

Marcus
Laureta-
nus navili
in Syriam
proficiscen-
tium præfe-
ctus.

Philippus
Rex pirati-
cam suis
prohibet.